Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

plateis ponebant infirmos et deprecabantur eum ut
vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quotquot
tangebant salvi fiebant. Dom. I in XL. Ad Corinth.
Fratres. Hortamur vos ne in vacuum gra-
tiam dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto
exaudivi te et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc
tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini
dantes ullam offensionem ut non vituperetur mi-
nisterium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nos met-
ipsos sicut dei ministros in multa patientia in tribulatio-
nibus in necessitatibus in angustiis in plagis in carceri-
bus in seditionibus in laboribus in vigiliis in ieiuniis
in castitate in scientia in longanimitate in suavitate in
spiritu sancto in caritate non ficta in verbo veritatis in vir-
tute dei. Per arma iustitie a dextris et a sinistris. Per
gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam,
ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti,
quasi morientes et ecce vivimus, ut castigati et
non mortificati, quasi tristes semper autem gaudentes,
sicut egentes multos autem locupletantes, tamquam
nichil habentes et omnia possidentes. S. Math.
In illo tempore. Ductus est Ihesus in desertum a spiritu
ut temptaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadra-